Reverende in Chro Pater

Pax Chri.

Post varios tandem casus Deus huc me tulit. Jam paulatim appropinquat tempus navigationis nostrae. Quinque naves maiores, vel, ut alii volunt octo, solvent mense Martio in Indiam. Sexta novembris obiit Joannes Quartus Lusitaniae rex: quatuordecim diebus interpositis successit in regnum et sortem paternam eius filius secundo genitus, Alphonsus sextus eius nominis, anno aetatis suae 13 circiter. Pater iam tot annis felix et pacificum regnum tenuit ardente bello per totam pene Europam. Holandos Brasilia, et Angola expulit, atque eorum vires multum fregit, frangitque quotidie in India Orientali. certe hoc anno, paulo ante regis obitum, appulit navis maior ex India rediens opibus orientis onusta, quae retulit multas clades Holandorum, et rem politicam bono illic esse loco. Allatae sunt praeterea litterae annuae Chinenses et Tunquinenses anni 1652, quo quidem anno in China facile 8834 sacrum baptisma susceperunt, et totidem vel plures in regno Tunquinensi. Respublica Christiana plurimum se illac extendit, et Ecclesiae primitivae faciem refert; ut melius R.V. intelliget ex litteris annuis quae modo hac eadem opportunitate Romam mittuntur. P. Martinus 17 circiter socios secum ducet, qui quidem in diversis Collegiis modo degunt. Ego solus Conimbricam missus sum, ut Mathematicam nostris legerem; ceterum ego quidem illam disco potius, quam doceo: percommode mihi accidit ut libros R.V. hic invenerim apud doctorem Medicinae, huius Academiae praecipuum, qui omnes propemodum libros R.V. penes se habet, et alios avide expectat, quos R.V. toties promittit: quique R.V. plurimum salutat. Hisce me SS. R.V. sacrificiis commendo 18 decem. 1656

Conimbricae

R. V. Servus in Chro

Ferdinandus Verbiest.

Siquid R.V. ex libris suis curiosi ad me mittat, eleemosynam loco accipiam et maiori Dei Gloriae in suis serviet.

Al Molto R.do P. Athanasio Kircher
della Comp. di Giesù

Roma